



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Didaci Covarrvvas A Leyva Toletani Episcopi Segobiensis  
... Opera Omnia**

**Covarrubias y Leyva, Diego de**

**Antverpiae, 1610**

20 De ieiuniorum, quæ Catholica ecclesia Christianis indixit, absernatione,  
& origine.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-96570](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-96570)

vel auctore Suida, de vita Christianorum: inquit enim Euseb. quid autem his addere oportet horum in vnu conuentus? Scortum quidem mulierum, foris etiam virorum frequen- tias conuersiones, solitaque, & stata exercitia, quae etiam nunc nos soli, & maxime vna cum inedia, cibique abstinentia cum precibus, & cum diuinorum oraculorum medita- tione in peruigiliis, & orationib, salutiferis passionis feruis, & magna solemnitate pernoctationibus celebrare cosue- rimus. Idem de aliis feruis, & de his tradit Nicephorus lib. 2. c. 17. rursus de peruigilationibus ad Martyru sepulchra eas commendans meminit Theodoritus lib. 2. Ecclesiast. c. 24. quae si modo seret ea pietate, qua tunc fiebant, iure optimo pos- sentia summis Pontificibus, & Episcopis permissi, imo esse- rent permittenda.

Sexta conclusio: Hoc sanctificationis dierum praeccepto exterior tantum Dei cultus, pura corporalis requies ad fa- miliarandum Deo praecipitur, non autem interna dilectio, aut contritio, nec interior operatio. Hanc conclusionem dedu- cimus ex S. Thoma 2. 2. q. art. 4. Cuius sensum diligenter ser- uatur, & probat Dominicus Soto lib. 2. de iustit. & iur. q. 4. art. 4. & probatur haec opinio ex eo, quod sub praeccepto legis di- uinae, vel humanae, quamuis cadat, & contineatur actus vir- tutis, finis vero legislatoris, aut modus virtutis non conti- netur, nec est sub legis ipsius vinculo, & obligatione: que ad modum docuere idem S. Thom. 1. 2. q. 100. art. 9. & q. 69. art. 3. & 2. 2. q. 44. art. 1. 4. & S. Caietan. vbi que Palud. in 3. sent. dist. 37. quest. 1. col. 3. & ibi Ioann. Maior quest. 13. nos item hac de re multa scripsimus in c. Alma mater. de sentent. excommu. in 6. in prioribus partibus. §. 5. Igitur internus cultus, qui ad contri- tionem pertinet, & ad dilectionem Dei, quo velat in finem tendit legislatoris mens, non est sub ipsius legis vinculo. Ad haec accedit, quod ecclesiasticum institutum, quo cultus hoc praeccepto iustus per hoc determinatur, quod est missa- rum solennia audire cum decenti reuerentia, & attentio- ne, vt sit actus humanus. cap. missa. cap. omnes fideles. de consecrat. dist. 1. ad cultum nos tantum externum obligat, & ardet ergo palam est, in praeccepto diuino non esse alium actum comprehensum, cum aliqui nisi illum explicaret, non esse ecclesia fida diuini iuris interpret. Est & alia huius asser- tionis ratio, quod huiusmodi praeccepta, quibus aliquid in- iungitur, non obligant ad charitatis modum, sed possunt quantum ad substantiam operum extra charitatem imple- ri, vt euitetur peccatum: ergo praecceptum hoc quo ad sub- stantiam operum seruatur, & adimpletur, vt & alia praec- pta extra charitatem: nec ex eo tenetur quis in die festo se ad gratiam praeparare. Et propterea praecceptum dilectionis Dei non est in Decalogo inclusum, sed extra in fronte pre- scriptum tanquam omnium praecceptorum finis: nisi modum cha- ritatis consideremus, non vt est singularis obiecti, sed vt est vniuersalis conditio omnium virtutum. Hac etenim ratio- ne considerata dilectio Dei, licet sit finis omnium praecep- torum 1. ad Timoth. 5. finis praeccepti charitas, non includitur in quolibet praeccepto Decalogi, quamuis in omnibus, vt finis praemittatur. S. Thom. 1. 2. q. 100. artic. 4. & 2. 2. questio. 44. art. 4. & questio. 79. articulo 2. & Caietan. 2. 2. questio. 46. art. c. 8. nec te- netur quis parentes honorare ex Dei charitate, sed satis il- li erit, vt adimpleat praecceptum quoad substantiam operu, si parentes honorauerit exteriori reuerentia, nec transgre- ditur praecceptum de honorandis parentibus, licet eam re- uerentiam praestiterit in peccato, mortali. Verum si confi- deremus dilectionem Dei, vt est singularis actus peculia- ris virtutis amandi, sicut est alius actus sperandi, alius actus credendi, nempe cuius contrarium est formaliter odisse, tunc actus charitatis cadit sub singulari praeccepto, nempe sub hoc: Diliges Dominum Deum tuum, & proximum sicut teipsum: si- cut docet S. Thomas 1. 2. questionibus 100. articulo 10. illum que secutus Dominicus Soto de iustit. & iur. lib. 2. questio. 3. articulo 10. Fit igitur, hoc praecceptum Decalogi minime transgredia- tur quis ex eo, quod in diebus festis peccatum aliquod mortale commiserit. Vnde illud euidenter consequitur, non teneri quem in confessione sacramentali confiteri tempus diei festi, quo crimen aliquod commisit, sed illi satis erit peccatum ipsum confiteri, quod nos probare conati sumus in dict. §. 3. quo in loco meminimus plurium autho- rum, qui hanc sextam conclusionem improbarunt. Qui vero actus possint licite in diebus festis fieri, diligenter ex- plicant syluester, Caietan. & alij, in verbo festum. Do- minicus Soto in dict. questio. 4. articulo 4. a quo pluribus ratio-

nibus adductis hec fuit tractata cotrouersia, quae agit de in- teriori cultu festorum. Erit etenim summa huiusce dispu- tationis, hoc praecceptum habere duo membra, alteru negatiu, quod est cessare a seruilis opere, alterum affirmatiuum, quod est cultus ab ecclesia praescriptus. Primum vero membrum intelligendum est, vt & omnia moralia praeccepta, iuxta pla- num, & literalem sensum: non secundum translaticium: si- quidem in moribus instituendis oportet vt translaticio aut metaphorico stylo: & ideo cum peccata in sensu plano, & liberali non sint nec dicantur opera seruilis, & in festis iu- beamur cessare ab operibus seruilibus, consequitur necessa- rio, peccata hoc speciali praeccepto minime prohiberi. Secun- dum autem membrum, tantum obligat ad actum extero- rem, & ad interiorum, qui propter exteriorum est omnino necessarius, nempe audire missam solennia ea attentione, quae illum actum exteriorem humanum efficiat, & religio- nis opus. Quod in specie adnotarunt Angel. in verb. feria. §. 4. & Caietan. in verb. festo. violatio. qui hanc sextam conclusio- nem optime probat 2. 2. quest. 122. artic. 4. Cui parum obicit quod illic S. Thomas scripsit asseuerans, peccata vere aduer- sari obseruantie festorum: quia ea opinio est intelligenda non quo ad substantiam praeccepti, sed quantum ad eius finem. Vere etenim peccatum aduersatur fini huius praeccepti & alioru. Nam, vt de hoc tractemus, praecceptum istud insti- tutum est ad vacandum Deo, & reb, diuinis, cui equidem fini magis pugnat peccatum, quam opus seruilis, & tamen sub- stantie praeccepti magis pugnat opus seruilis quam peccatum. Qua ratione quod idem S. Thomas subdit, a Christianis Sab- batum seruandum esse spiritualiter, est omnino accipendum quo ad intentionem praecipientis, & finem ab eo significa- tum, non quod ea obseruatio fit de substantia praeccepti, vt qui sic non seruauerit, transgressor fit illius.

CAPVT XX.

De Ieiuniorum, quae Catholica Ecclesia Christianis indixit, obseruatione, & origine.

SUMMARI A.

- 1 Ieiunium ecclesiasticum maxime differt à communi usu, & exercitio morali abstinencia.
- 2 Ieiunium, an sit iure naturali, diuino, & institutum?
- 3 Ieiunium qua ratione sit iure humano inditum?
- 4 De ieiunio quadragesimo, & eius institutione.
- 5 Socrati historici locus expenditur.
- 6 Sexta Synodi canon intelligitur.
- 7 Interpretatio cap. quadragesimo de consecr. dist. 5.
- 8 De ieiunio quarta feria, sexta, & Sabbati.
- 9 De ieiunio Quatuor temporum.
- 10 Praecceptum de ieiunio obligat eius transgressores ad mortalem culpam.
- 11 Vnicui tantum prandium licitum est in diebus ieiunij: & an eius quantitas ieiunij legibus adieratur?
- 12 Finis legis an includatur, & contineatur sub praeccepto?
- 13 An tertium, vel quartum prandium noua transgressionis reatum inducat in eodem die, quo ieiunium praecipitur?
- 14 De hora prandij, & de distinctione horarum diei.
- 15 De cibis, quibus ieiunantes interduntur.
- 16 De ieiunio Rogationum, & de illo triduo.

Quamuis ex sola naturalis rationis cognitione, absque villo diuini, vel humani iuris praescripto, ieiunium qua ex parte ad abstinentiam morale pertinet, fuerit olim, & Ethni- cis Philosophis plane cognitum, vt quilibet iuxta rectam pru- dentiam rationem ad tuendam bonam valetudinem, ad sensum & intellectum illustrandum, saltè ne nimia ciboru ingluue temere quis in morbum corporis, vel animi incidat, teneatur temperantia, & mediocritate prudenter vt: praestantius ta- men multo Christianis, & his, qui veram Dei cognitionem ha- bent, ieiunium est legibus institutum, multis titulis, & nomi- nibus maxime commendandum, etiam si haeretici, qui nunquam ecclesiam infestare cessant, & hoc sanctissimum opus euertere sberint conati, quorum impiis conatibus viri sanctitate, & doctrina insignes resisterunt olim, & aduersus Lutheranos nunc resisterere Deo duce satagunt, omnique studio moliuntur. Horum scripta tot locis ex sacra scriptura selectis, tot sanctoru patru testimonij adductis, vberem adeo huiusce rei tractatum continent, vt hoc in loco ad illoru lectionem Christiane Theologie studiosum abegantes pauca quaedam obseruare constituerimus in eorum vtilitatem, qui iuri Põ- tificio, & Cesareo tantum operam dederint.

Prima conclusio: Ieiunium quo Cristiani utimur, quo- que vsi fuerunt sancti patres, maxime differt à communi

virtutis temperantiae exercitio, moralique abstinentia: tamen si vere sit actus abstinentiae virtutis. Hanc conclusionem ex multis deducimus, primum quod moralis abstinentia hoc ipsum continet, quod propter aliquam rectam rationem ad valetudinem animi, vel corporis, ad morbum aliquem vitandum, ad aliqua opera corporalia expeditus agenda, minus cibi fumamus, quam nobis fas esset secundum communem statum, seclua speciali ratione, qua prudenter considerata, morali abstinentia utimur. Sicut & moralis temperantia dicitur, non esse excedendum ab eo, quod recta ratio, & naturalis praescribit debitis circumstantiis pensatis, ut bonam corporis valetudinem, & animi sensum tueamur: quemadmodum S. Thomas docere conatur 2. 2. *quest. 146. artic. 1. ad 2. & quest. 147. artic. 1. ad 2.* Generaliter etenim Temperantia, auctore Cicer. *lib. 2. veteris Rhetorices*, est rationis in libidine, atque alios non rectos impetus animi firma, & moderata dominatio. Vel secundum Macrob. *lib. 1. de somnio Scipion. cap. 8.* Est nihil appetere penitendum, in nullo moderationis legem excedere, sub iugum rationis cupiditatem domare, quae & Aristot. tradit 2. *4. Ethic.* ac docet Thom. 2. 2. *99. 141.* quo fit, ut satis constet, quae sit moralis temperantia, quae item moralis abstinentia, quibus etiam veteres, Ethnicique Philosophi vti fuerunt ad corporis, & animi integritatem, valetudinemque tuendam, ac conservandam, vel ad opera corporalia expeditus agenda, aut praeter commune usum ad morbum aliquem vitandum: & quandoque in hoc intenti, ut abstinentia ciborum animi intellectuque promptiorem haberent ad ea facilius agenda, & percipienda, quae vel moralem, vel naturalem Philosophiam, mathematicisque disciplinas attingebat.

Secundo, communis usus temperantiae virtutis in hoc tendit, quantum ad cibum, & potum, ut tantum quis ex eis sumat, quantum sibi sit necessarium, aut competat iuxta illam mediocritatem, quae prudenter in virtutibus seruanda est: non in puncto, sed in latitudine quadam secundum communem statum, ita quod nullus sit excessus.

Tertio, quia sicut laus fortitudinis consistit in quodam excessu, & ab eo omnes eius partes nomen accipiunt: ita & temperantiae laus in quodam defectu versatur: atque ideo abstinentia temperantiae pars a defectu nomen habet, & nihilominus medium tenet in illa latitudine, quae a recta ratione ducitur.

Quarto, sicut moralis quadam recta ratio patitur, ac dicitur, quod propter aliquam specialem causam temporalem, sumat quis minus cibi aut potus, quam communi quadam circumspectione iuxta communem statum sibi competeret, quod paulo ante adnotauimus: ita & multo magis recta ratio, prudensque id ipsum dicitur ad spiritualia mala vitanda, bona vero consequenda, seruata & semper & vbique illa rectitudine, quae ita abstinentiam istam intra virtutis limites continet, ut tantum cibi sumatur, quod natura conservari possit, cum alioqui vere dici non possit abstinentia. Hec ex eodem Diuo Thoma in locis paulo ante citatis, & in 4. *sentent. distinct. 15. quest. 3. ad primam & secundam.*

Quintum plane ex his deducitur, posse quem intra temperantiae virtutis limites observari philosophica latitudine, certam cibi, & potus quantitatem sumere absque aliquo excessu secundum rectam rationem: & eundem posse minorem cibi, ac potus partem sumere absque eo, quod vlla lesio naturae fiat, quo ad ipsius sustentationem.

Sexto, illud dubio procul assertionem primam confirmat, quod ieiunium ecclesiasticum non solum in hoc versatur, ut a superfluis cibis, & potibus abstinemus: hoc enim pertinet ad necessitatem virtutis ex communi eius usu, sed & in hoc, ut ab aliis etiam abstinemus, quae salua virtute nobis licerent, quod vbique S. Thomas expressim docet.

Septimo ex eo, quod ieiunium Christianum tria potissimum inducat & operetur. Primum ad carnis concupiscentiam reprimendam, eiusque sedandos illicitos motus. Paulus Apostolus 1. *ad Corinth. ca. 9. Castigo*, inquit, corpus meum, & in seruitutem redigo, ne cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar. Vas igitur electionis aduersus corpus repugnat illudque subigere conatur ieiuniis, & vigiliis: ne violenta quadam tyrannide animae aduerfetur, & in morem serui contumacia lasciuat. Etenim remedium est salutare ieiunium, ad domandum corporis lasciuia, & eius pruritus reuincendos: parsimonia siquidem, gulaque contumacia corpus hominis castigatur, in ordinemque redigitur, ne lasciuies nimis,

& effrenatae rationis metam transiliat. Ieiunium denique con gubernaculo, corporis nauicula regitur, exauritur lentina ventris, petulantia carnis marcescit, crudelissimus hostis liberius eleuetur ad sublimia cõtemplanda. Sic Daniel post ieiunium trium hebdomadarum vidit visionem & reuelationem a Deo accepit, *Daniel ca. 10.* Tertio, ieiunium prodest ad satisfactionem pro peccatis. *Iohel ca. 2.* Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, fletu, & plãctu, qua ratione Diuus Augustinus in *sermone de oratione, & ieiunio*, scribit, ieiunium purgati subicit, cor facit contritum, & humilium, concupiscentiae nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, caliditatis vere lumen accendit. Quae quidem S. Thomas tradit in *d. 9. 147. art. 1.* Abstinentia vero, quam Philosophi docuerunt, quaeque vti communiter fuerit, hos effectus minime consequitur, imo potius recta corporis valetudine existentes, quae per communem temperantiam adquiruntur, & confortantur validior redditur natura nostra, sicuti experimento constat. Quod si aliquando Ethnici vti sunt inedia, & morali sobrietate, ac temperantia intra limites eius, maiori tamen quantum ea, quae communis erat: id fecere in finem omnino temporalem, minime cogitantes de his, quae spiritualia sunt, ne in id intenti, in quod Christiani ieiunantes intendimus, aut iuxta ipsius legis mentem intendere debemus. Igitur satis probatur prior conclusionis pars, & ex ea, ieiunium Christianum maxime differre a ieiunio, quod dicere possumus philosophicum ab abstinentia morali, qua veteres Ethnici quandoque vti fuerunt. Posterior conclusionis pars ex eo deducitur, quod cum ieiunium ordinetur ad aliquod bonum, & honestum, necessario sequitur virtutem esse, quod S. Thomas *art. 1. probat.* Abstinentia vero virtutis temperantiae pars subiectiua: imo virtus specialis pertinet ad medium constituendum in cibis, & potibus, in quibus & ieiunium constituitur: ideo ieiunium est virtus, & abstinentiae actus, auctore eodem Thom. *art. 2.* qui in vtraque questione satis docet, abstinentiam esse in cibis, & potibus temperantiam, post Macrob. *lib. 1. de som. Scipion. cap. 8.*

Secunda conclusio: Ieiunium vbi est necessarium ad reprimendos carnis illicitos motus, vel ad eleuationem mentis ad spiritualia, est iuris naturae praecipuum. Probatur ex eo, quod sicut tenetur quis abstinere ab illicitis carnis operationibus, quae debito procul contingunt a violenta quadam corporis tyrannide: ita vti tenetur vti mediis necessariis ad carnis illicitos motus sedandos. Deinde quemadmodum tenetur quis aliquo tempore diuina, & spiritualia contemplari, eadem ratione tenetur seipsum mediis necessariis ad illam contemplationem preparare. Ergo ieiunium, vbi ad hoc fuerit necessarium morali quadam consideratione, erit profecto iure naturali praecipuum, quod S. Thom. scribit 2. 2. *9. 147. art. 3. idem in 4. sent. dist. 15. q. 3. ad 4.* idem de oratione respondendum erit, eam scilicet esse ex praecipuo iuris naturalis, vbi est necessaria ad reprimendas carnis tentationes, illicitosque motus, vel ad salutem spiritualem consequendam ex diuino auxilio: quemadmodum idẽ Tho. & alii senserunt adnotante Mar. Azpilcueta in *ca. quando de consecrat. dist. 1. not. 3. m. 13.* & in *Manuali ca. 13. m. 18.*

Tertia conclusio: Ieiunium qua ex parte necessarium est ad sedandos, & reprimendos illicitos animi motus, vel ad spiritualia contemplanda: sicut est iure naturali praecipuum, ita & lege diuina euangelica. Hac constat ex his, quae scripsimus in *ca. praeced. m. 4.* Nam quae iure naturali praecipua sunt, eadem & lege diuina euangelica praecipuntur: quod illic probauimus. Et praeterea lex noua euangelica nobis praecipit, ut animi motus componeremus, auctore Chryloto *Matth. cap. 5. idque S. Thomas explicat 1. 2. quest. 107. artic. 4.* ergo & omne illud praecipisse videtur, quod sit necessarium ad hanc animi interiorum compositionem, ut iuste operemur animi promptitudine & alacritate, repressis illicitis animi motibus, qui nos facillime & obruent, ac profundabunt, nisi medijs illis vtamur, quae ad hanc extirpandam calamitatem sunt necessaria. Id ipsum sensit Tho. 2. 2. *9. 167. art. 4. ad 1.*

Quarta conclusio: Potuit ecclesia ieiunium ex praecipuo quibusdam diebus Christianis indicere: idque fuit maxime vtile. Hac est assertio S. Thom. in *d. 9. 147. art. 3. ad 1. & in d. 9. 3. ad 4.* Etenim quemadmodum ad saeculares Principes, ciuilemque Rempublicam pertinet, praecipua tradere dehis, quae



de re sententiam diligenter retulit Franciscus Torrensis in libro de canonibus sexta synodi, canone 55. existimat tamē canonē illum, qui ex eo synodo prohibet in sabbato quolibet ieiunium, adulterinū esse, & contra Romanae ecclesiae cōsuetudinem, atque ideo respondere conatur canonē 65. Apostolorū ubi statutum fuit, Si quis dominicum diem, aut sabbatum, vno solo dempto, ieiunare deprehendatur deponitur: sin laicus, à communione eiicitur. Cōuenit vero cū hoc canone canon ille sextae synodi quinquagesimus quintus, cōueniunt itidem Socrates, ac Nicephorus, ab omnibus sabbatis, vnum excipiens, nempe magnum illud, quod diem domini: tum resurrectionis praecedit. Sed & diuus Ignatius in epist. 44. inquit. Quicumque dominicam, aut sabbatum ieiunauerit, praeter vnum sabbatum Paschae, ipse est Christi interfecto. Ex quibus, & aliis, quae paulo post tradentur, apparet, apud Graecos, & in Orientali ecclesia olim ieiunium sabbati, etiam in quadragesima prohibitum fuisse: & à praecipuo ieiunii exceptum: atque ideo existimo, canonem sextae synodi quinquagesimum quintum adulterinum non esse: cui opinioni & diuus Ambrosius suffragatur in libro de Helia capitulo 10. scribens: Quadragesima totis praeter sabbatum, & dominicum ieiunatur diebus. Hoc ieiunium domini Pascha concludit. Hoc ipsum & ex diuo Basilio constat, in Homil. 1. & 2. de ieiunio. Hęc Ambrosius. Quamuis Romae, & fere in occidentali ecclesia ieiunium diebus sabbati licitum erat, & quandoque praecipuum, quemadmodū statim probabimus, & synodus Agathensis probat capitulo duodecimo, & apud Gratianum de consecrat. distinctione tertia. ex eodem scribitur. Placuit, vt omnes ecclesiae exceptis dominicis in quadragesima, etiā in die sabbati, sacerdotali oratione, & discretionis commune ieiunent: quod vero idem Socrates, & Nicephorus scripsere asseuerantes, Romanos tres tantum hebdomadas, dominicis diebus & sabbatis exceptis ieiunare: existimat idem Franciscus Torrensis super canon 13. mendacium esse, asseuerans, quadragesimā integram apud Romanos ieiunio obseruatam fuisse: idem ipse verissimū esse contendam, modo illud obseruamus, olim, etiam apud Romanos quadragesimae ieiunium à secūda feria post dominicā quadragesimae incipisse. Quod insinuat Telephorus, septimus à Petro pontifex, qui decreto proprio definiuit, ac praecipit, clericos omnes septem hebdomadas plenas ante sanctum Paschae ieiunare, & a carnibus abstinere, quia discreta debet esse vita clericorum & laicorum: addidit enim septimam hebdomadam quo ad clericos, quae dicitur quinquagesima, sentiens praeter sex quadragesimae hebdomadas indicatas fuisse, sicuti apud Gratianum constat capitulo statim. & sequentibus distinctione 4. Alibi vero saltem in Orientali ecclesia varie ieiunium quadragesimae fuit obseruatum, siquidem Irenaeus scribit apud Eusebium lib. 5. eccles. histor. capitulo 26. & Nicephorum libro quarto, capitulo 39. non modo de die Paschae, verum etiam de ieiunii specie questionem fuisse. Quidam namque existabant, vnum ipsos oportere diem ieiunare, quidam duos, alii etiam plures, nonnulli autem quadraginta horis diurnis, & nocturnis diem eorum metiuntur, horum pro die ieiunantes. Atque haec Irenaeus ex codice Graeco, vt obiter lectorem admoneam in Latinis Eusebii codicibus lib. 6. capitulo 24. quod Rhenanus in praefatione adnotauit, hunc locum aliter legi, imo & apud Nicephorum non sic plane è Graeco in Latinū versum fuisse, meminit & diuus Basilius in Homilia, contra ebrietatem, ieiunii septem hebdomadarum ante diem resurrectionis dominicæ. Ieiunium autem quadragesimae multis ex causis fuit ab initio institutum, quarū illa est omnium potissima, vt eas hoc tempore utilitates consequamur, quas ex ieiunio deduci superius probauimus. Deinde, vt scribit Leo in sermone tertio, de quadragesima. Christianam fortitudinem nulli magis, quam praesentes exigunt; & conferunt dies, quibus dum obseruantia spiritualis impenditur, cōsuetudo, in qua perseveratur, acquiritur. Notū enim est, hoc esse tempus, quo per totum mundū leuente diabolo acies debet Christiana consistere, vt si quos desidia tepidos, aut sollicitudo habuit occupatos, nunc ipse legi in spiritualibus instrui, & caelesti tuba ad incedum certamē accendi. Est & alia huius ieiunii ratio, vt passionem Christi & admirabilem resurrectionem eius, sanctum hoc ieiunium praecederet, & capiti nostro per carnis afflictionem ad similitudinem sanctius, & purius à reliquis peccatorum purgari mysteria redemptionis, & resurrectionis no-

strae recolamus, quā resurrectio illustrissima sit & antiquissima festiuitatum omnium, quas ecclesia catholica celebrat. Quam rationem D. Hieronymus tradit in sermone de quadragesima. Nam & gentiles religionis causa, vt sanctus sacrificia celebrarent, aut sacris initiarentur, ieiunia quaedam obseruante constat ex Plutarcho in Demosthene, & his, quae de diu quattuor tradit Gregorius Gyraldus Synagoga 17. pagina 715. ac rursum pagina 740. refert Aegyptiorum ritum qui pridie celebratū aut festi, vt scribit, vt Graeci dicunt, ieiunabant. Idem Synagoga 12. scribit, in Cereris celebratae in eius dea huiusmodi ieiunia quaedam ab ethnicis instituta fuisse, quo magis Christianorum mirabimur audaciam, sordidam, & in rebus diuinis multis nominibus exprobranda segnitiam, qui ieiunia toruis de scauis ab ecclesia in nostrā vilitatem nobis indicata vel omittamus facillime, vel ea obseruamus ita licenter, vt nulla in cibo, & potu abstinence vere deprehendi vel minima ex parte possit. Obseruauerunt & Hebraei olim ieiunia quaedam, quorum mentio fit Zachariae ca. 8. vbi diuus Hieronymus de eis tractat, & traduntur à Gratiano in capitulo huius. & capitulo ieiunium. 76. distinctione. à diuo Thoma. 2. 2. quae. 147. articulo. 3. qui huius magni ieiunii, & aliorum praedictam rationem reddit.

Ceterum diuus Gregorius in homilia. 16. super Euangelium apud Gratianum in capitulo quadragesima. de consecratione. distinctione 7. 5. & Burchardum libro 13. capitulo. 1. numeri dierum, quibus in quadragesima ieiunamus, duplicem rationem exponit, primam quidem, vt redemptorem nostrū imitemur, qui quadraginta diebus ieiunauit: secundam vt hoc ieiunio decem dierum singulis annis domino sancta obseruatione offeramus. Annus etenim constat ex 365. diebus, quorum decima pars deducitur, & numeratur ex triginta sex, quadragesima vero incipit à die dominica, quae quadragesima vulgo dicitur à ministris ecclesiasticis, & est sexta hebdomada ante Pascha, & festum resurrectionis, quo tempore intermedio computantur quadraginta duo dies, è quibus sex dominicae deducuntur, atque supersunt triginta sex dies, quibus necessario ad quadragesimum numerum completū additi fuerunt quatuor ante quadragesimam, nempe quarta feria cinerum, quinta, sexta, & sabbatum. Haec Gregorius. Cui Speculator in rationali diuinorum officiorum lib. 6. capitulo. de dominica prima quadragesimae. addit quadragesimam dicitur dominica prima post cineres vique ad feriam quintam, quae nominatur à cena Domini ex eo, quod illo die Christus Pascha celebrauerit, eaque ratione, vt quadragesima diebus integris ieiunemus, adde feriam sextā diei veneris, & sabbatum sanctum. Sic lane poteris interpretari diui Gregorii responsum, licet id sit satis intellectū facile, quod & Dominicus maxime commendat conf. 37.

Fuit & in dicto canone Apostolorum ab initio ecclesiae, & legis Euangelicae praecipuum ieiunium quarta, & sexta feria cuiuslibet hebdomadae. Quo testimonio & contra Arrianos Epiphanius vtitur excipiens tempus Pentecostes quo nullum ieiunium Christianis indicitur. Sexta feria quidem ratione, quod Christus Iesus in ea pro humani generis salute fuerit mortem passus ignominiosam: quarta vero, quia in ea fuit Christus venditus, & à scelestissimo Iuda proditus, vt testatur idem Epiphanius, tametsi Iulianus Martyr in questionibus à Gentibus Christianis propositis questione 65. probare conetur, Christum Iesum à Iuda proditum fuisse quinta feria, non quarta, qui vero in canone Apostolorum, ubi Graece legitur, quatuor temporum ieiunium interpretantur, falluntur plane, cum de quarta feria locus ille dubio procul intelligendus auctoribus Epiphano, & Haloandro. Nam etsi potius significet quaternarium numerum, quam quartam diē, significantissime tamen diem Mercurii, quae quarta feria vulgo dicitur, in canonibus Apostolorum significare videtur. Haec etenim in re dictione ista vtitur non semel iuxta eandem significationem Simeon Metaphrastes Graecus auctor, praefertim in vita sancti Nicolai, & in vita sancti Auxenti, atque diem istam hoc nomine appellatam fuisse veteri sublato à beato Syluestro, in eius vita asserit idem auctor cura, & diligentia Aloylii Lippomani Latine typis traditus. idem ipse legi in eiusdem Syuest. vita Graece scripta, auctore Eusebio Caesariensi nondum typis tradita, quam tamen legere mihi contigit ex bibliotheca illustris viri Didaci à Mendoza olim apud Venetos, & summum ecclesiae Pontif. Caroli Caesaris legati. Haec vero nominis mutatio antiquior sane mihi videtur.

videtur Syluestro, saltem apud ecclesiasticos canones, licet non meliore; Suidam <sup>etiam</sup> interpretari, <sup>etiam</sup> quous: id est, de quatuor temporibus. Hoc etenim ieiunium quartæ feriæ, & Parasceves legitimum esse in qualibet hebdomada, nec soluendum fore, nisi ex graui causa, tradidit Iuod Carnoten. libro 2. ex Apollonio sancto. Et Gratianus de consecratione dist. 3. capitul. ieiunia. à quibus eadem redditur ratio, quam ex Epiphanio paulo ante tradidimus idem vetustissima, & non improbanda traditio apud Romanam ecclesiam obtinuisse, asseuerat Leo Papa quartus, in capitul. de esu carniū. de consecratione distinctione 3. Quamobrè pluribus in locis apud Hispanos quidam adhuc religionis causa quarta feria ab esu carniū abstinere solent. Sed & Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatum testatur, à quibusdā tunc ieiunium dierū Mercurii, & Veneris obseruatum fuisse. Huic denique quartæ ferig ieiunio, & sabbati ieiunium additum fuisse, constat ex Diuo Augustino in Epistola ad Hieronymum, que est 19. saltem apud ecclesiam Occidentalem. Idem insinuat Innocentius in epist. 1. ad Decentium, capitul. Sabbata. de cōserua. dist. 3. sentit Hieronymus ad Lucinium. & Gregorius Papa septimus in cap. quia dies sabbati. de consecra. dist. 5. quod de Romanis faceret Nicephorus lib. 12. eccle. histo. cap. 34. scribēs Romanis mos est sabbato quous ieiunare. Rufinus D. Augustinus in epist. ad Casulanum presbyter. 86. contendens aduersus Vrbicum quendam non esse damnandos cuiusque provinciarū mores, ac ritus diuersos, & quosque in diebus ieiunandis, nec esse improbandam consuetudinem, ex qua ieiunium sabbati minime sit præceptum, sed sit cuique voluntarium, scribit, Romanam ecclesiam, & eam quaedam, paucas tamen, secutas sabbatum ieiunare ex ea causa, que ab eodem Augustino commemoratur, denique faceret, ecclesiam quarta, & sexta hebdomadæ die ieiunare, quarta ex eo, quòd eo die cōsiliū Iudæi fecerint ad occidendū Iesum, sexta, quia ea die fuerit cruci affixus, tradit etiā plebrosque ex Romana plebe frequenter quarta, & sexta feria, atque ipso sabbato ieiunare. Vnde non temere opinabimur, ex hoc veteri instituto, quamuis ieiunij obligatio fuerit sublata, adhuc vim, & prohibitionis vinculum manere quo ad esum carniū, vt sexta, feria. & sabbato prohibeamur sub sceleris grauissimi pœna carniū vesci, quod de sexta feria plane faceret gl. Arch. & Car. in dist. cap. de esu carniū. de sabbato vero illud est obseruandum, & obtentum esse, quod cuiusque provinciarū consuetudo seruanda sit, si cuncti sumus ecclesie Pontifex ad monet in cap. consiliū. de obserua. ieiun. Optima Diui August. responsio in epistola ad Casulanum presbyterum in c. de illa 12. dist. 1. Vnde Galli carniū vescuntur sabbatis à Natali domini ad Purificationem tēlle Paludano in 4. sem. dist. 15. q. 4. col. 5. Hispani omnibus sabbatis vescuntur, nisi præceptum ieiunij imminuat, animantium extremitatibus, & intestinis, ac visceribus. Eritque hac in re seruanda consuetudo loci, non originis illius, qui vescitur aut abstinere tenetur à carniū, sed vbi is commemoratur, etiam absq; domicilio iter faciens, quod probatur in d. c. de illa, & ex Imol. Bonifacio, & Card. in Clem. 2. q. 5. de celebrat. miss. aduersus Paluda quem in d. dist. 15. q. 5. Io. Maior iure optimo refellit. sentit hanc conclusionem Panor. in ca. consiliū de obserua. ieiun. in fin. & idem asserit Christophorus Porcius in 5. lib. & quod princip. n. 26. Inst. de iur. natur. gent. & ciuili. licet: Præposit. in d. c. de illa. idem quod Palud. probare conetur.

Hinc etiam deducitur interpretatio tex. in c. presby. 82. dist. 1. q. 1. 22. q. 5. vbi quibusdam ex causis indicitur ieiunij legitimis feris. Nam glo. vbiq; tres legitimas ferias interpretatur, Secundam, Quartam, & Sextam, quod ex d. ca. presby. optime probatur, & multo melius ex Burchard. c. 9. & 10. lib. 19. qui omnino legendus erit ad multa intelligenda, que breuiter, & obscure in aliquot canonibus tractantur.

Idem Burchardus lib. 13. cap. 16. ex consilio Aurelianensi scribit, Presbyteri cū sacras festiuitates populo annunciant etiam ieiunium vigiliarum, eos omnibus modis seruare monent. Ex quo illud ipse adnotauerim, olim quoties vigiliae in ecclesiis ex conuentu Christianorum in honorem martyrum, vel alius festiuitatis erant celebrande, etiam illum diem festum precedentem ieiunio solennem fuisse, & ideo quamuis Christiani à vigiliis cessauerint, vt in ca. pro uis. scripsimus, adhuc ipsam diem ieiunij, quem in honorē festiuitatis obseruamus, & quo ab esu carniū abstinemus, ieiunamus, vigiliū dicimus, quod & Spec. lib. 6. rationalis. sub. de illis ieiuniis ad notauit.

De ieiunio, quod olim solenne erat, & absoluebatur in hebdomada ipsa post Pentecosten, meminit Athanasius in Apologico lib. de fuga. auctoribus Socrate lib. 2. c. 28. Theodorico lib. 2. c. 14. & Niceph. lib. 9. c. 29. Sed ante Athanasii tempora Calixtus Papa primus in epistola ad Benedictum Episcopū, anno à Natiuitate Domini iuxta Halbandri chronologiam 223. quatuor temporum ieiunium inlruit, quod prius ter in anno celebrari apud Romanos auctoritate didicisti, conuenientius nunc per quatuor tempora fieri decernimus, vt ficut annus per quatuor tempora fieri decernimus, sic & nos quaternum solenne agamus ieiunium per anni quatuor tempora. Hæc apud Gratianum in cap. 176. dist. in ipsa vero epistola traditur ab ipso Calixto ratio ex veteris testamenti ieiunio. Zachar. cap. 8. quod ex Hieronymo ab eodem Gratiano explicatur, eiusdem distinctione c. ieiunium. quò in loco quatuor ieiunia Hebræorum, de quibus Zacharias scripsit, quorūque tempora verbo domini præfinita fuisse, tradit mensibus scilicet, Quarto, Quinto, Septimo, & Decimo, ad mensū, quibus modo utimur, rationem ita exponuntur, vt ieiunium quarti cōueniat Iulio mensi, quinti Augusto, septimi Octobri, decimi Ianuario. Idem illic Gratianus obseruauit, in cap. huius obseruantiæ. ad ieiuniumque secundum hanc deductionem anni initium à mēse Aprili, qui primus mēsis est apud Hebræos, vt idem Gratianus asseuerat: quod olim verum erat ex eo, quod luna proximior æquinoctio verno primum cōstituebat. Hebræorum mensem: at postea propter mutationem æquinoctii verni est omnino obseruandum, mensem Martium frequenter, & sane frequentius conuenire primo Hebræorū mensi. Quemadmodū explicuimus & nos huius operis cap. 18. num. 1. qua ratione forsitan perspecta, & considerato anni initio iuxta Hebræorum obseruationem, eademque inducta ad initium anni, quo nunc utimur: auctore eodem Gratiano ex Hieronymi adnotatione, primus mensis ad hæc quatuor ieiunia obseruanda erit Ianuarius, quartus erit Aprilis & ideo in dist. cap. ieiunium. Gratianus scripsit, non posse quarti mēsis ieiunia celebrare ante diem Pentecostes: quia à resurrectione ad eum diem nullum ab ecclesia indicitur ieiunium: utiturque is auctor hac inductione qua placet intellexit, nō posse aliter conuenire quatuor temporum ieiunio, quod ex veteri testamento à Calixto Pontifice iuxta anagogem tradi videtur. Sed nec hic sensus vilo modo Gratiano aptari poterit, nec secundum eum ieiunia, quibus utimur, Hebræorum ieiunij vel minima ex parte respōdere possunt. idcirco vera interpretatio eorū, quæ Gratianus exponit, inde accipiēda erit quod ipsa anni primum mensem Martium intellexit, vel quia olim apud Romanos is mensis primus omnium erat, & quamuis Ianuarius postea principij anno dederit, nihilominus quo ad quædam mensū nomina, Martij mensis vt prima adhuc habetur ratio: quod Ioan. Fantucius, Archid. & alii ad Gratianū adnotarunt, vel quia, licet olim apud Hebræos Aprilli responderit primus eorū mensis, nunc tamen, à Gratiano ætate, & Gelasij Papæ temporibus propter æquinoctii verni mutationem potius, aut denique frequentius primus Hebræorum mensis conueniret nostro Martio, quam Aprili. Siquidē anno Domini 330. tempore Nicænæ synodi æquinoctium verum contingebat 21. die Martij, nunc vero contingit vndecima die eiusdem mensis. Vnde quartus mensis erit Iunius, septimus Septembris, decimus December. omittiturque ab ecclesia quinti mensis ieiunium, & mutatur in ieiunium primi mensis, id est, Martij, quod constat ex Concilio Magentiaco, cap. 34. quod celebratū fuit anno Domini 803. meminere eiusdem Gratianus in dist. 76. cap. 2. & Burchardus li. 13. c. 2. qui diligentius illius canonis verba sic retulit, vt aliquid à Gratiano fuisse omissum constat, & tamen nec ipse integrū canonē exposuit, qui in Conciliorum libris his verbis extat: cōstituiimus, vt quatuor tempora anni ab omnibus cum ieiunio obseruentur, id est, mēse Martio hebdomada prima, & feria quarta & sexta, & sabbato veniant omnes ad ecclesiam cū litaniis ad missarū solennia. Similiter in mēse Iunio hebdomada secunda, feria quarta, sexta, & sabbato ieiunetur vltique ad horam 9. & à carne ab omnibus abstinatur. Similiter in mēse Septembri hebdomada tertia, & in mēse Decembri hebdomada, quæ fuerit plena ante vigiliam natalis Domini: sicut est in Romana ecclesia traditū. Hæc in d. canone. His familia Iuo Carnotensis tradit ex Concilio Salegusto lib. 2. de ieiunio. & Gratian. cap. 3. dist. 76. quo in loco illud est ob-

est observandum: quod si quando ieiunium mensis Iunii in vigiliam Pentecostes incidit, non tunc celebrandum erit, sed in ipsa hebdomada solenni Pentecostes: & idem Gratianus in cap. *ieiunium*, dixit, non posse celebrari ieiunia quarti mensis ante diem Pentecostes: quia inter resurrectionem & Pentecostes ieiunia minime inducuntur ab ecclesia. Ex quibus si coniecturis uti licet, Calixti Papae decretum addidit ieiunium quartum, nempe mensis Martii, cum prius tria tantum observarentur ieiunia. Tandem, quia prima duo ieiunia frequentissime in quadragesimam, & hebdomadam Pentecostes incidebant, usus obtinuit, & ita constitutum est ab Urbano Papa in cap. *statuimus* 76. dist. ut primum ieiunium quatuor temporum celebraretur in initio quadragesimae, secundum in hebdomada Pentecostes, tertium in Septembri, quartum in Decembri. idē probatur in cap. *huius observantia*. 76. dist. quo iure ecclesia videtur, & tertium ieiunium in Septembri post festum exaltationis sanctae crucis celebratur.

Ex his item adsumitur interpretatio responsi, quo Gelasius videtur in epistola ad episcopos per Lucaniam constitutos ca. 13. apud Gratianum in c. *vlr.* 76. dist. de ordinationum temporibus. Scribit enim Gelasius, Ordinationes presbyterorum, & diaconorum, nisi certis temporibus, & diebus, exerceri non debent, id est, quarti mensis ieiunio, & septimi, & decimi, sed etiam quadragesimalis ieiunii, ac Medianae hebdomadae, & sabbato circa vespertas ipsas ordinationes novent celebrandas. Quibus verbis probatur, ordines sacros extra tempora iure definita non esse concedendos, tempora vero esse quatuor anni ieiunia, quae modo tradidimus, & hebdomadam quartam quadragesimae, quae praecedit dominicam in passione, & sabbatum ante resurrectionis diem, sicuti summus Pontif. Alex. III. respondit in c. *de eo de temp. ord.* Appellat autem Gelasius ieiunium quarti mensis, quod observatur post Pentecosten, & ab aliis dicitur mensis Iunii ieiunium, quem & sub initio quadragesimae complexus est ieiunium mensis Martij, quod licet possit extra quadragesimam contingere, frequentius tamen in eam incidebat. Olim vero ante Gelasium ordinationes solenniter celebrabantur Decembri mense, quod ex Damaso & Platina in Pontificum vicis apertissime constat.

Atque haec de ieiuniis, quae videntur ex vetustissimis institutis à Catholicis observata fuisse, quibus & aliis addita fuere, quae commemorantur in c. 1. & 2. de observat. ieiun.

**Sexta Conclusio:** Ieiunia Canonice legibus instituta, ita ex precepto servanda sunt, ut mortalis peccati reus sit omnino censendus, qui absque iusta causa eadem servare omiserit. Hanc conclusionem ideo his verbis conceperat exponimus, ut ab eius disputatione secernamus eum, qui ex contemptu ieiunare diebus ab ecclesia praefinitis omiserit. Hic enim dubio procul mortalis criminis, & culpa reus censetur, secundum omnes, ut Caietan. fatetur in 2. 2. q. 147. art. 3. contemptu vero, ex quo mortalis oritur culpa, nos scripsimus in cap. *Alma mater*, de sent. excom. in 6. in prior. relectionis parte. §. 7. n. 6. igitur conclusio in hunc sensum adsumenda, ut secluso contemptu, si quis non observaverit ieiunium ab ecclesia indictum, in mortalem incidat culpam regulariter, nisi iusta causa ex his, quae iuste in hoc tractatu censentur, eum ab ea culpa excusaverit secundum Archid. Prapo. & Card. Sixti in cap. *vlr.* 76. dist. Probatur vero ex eo, quod Canones, & constitutiones ieiunia instituentes in hoc videntur sensu instituta, ut vel verbis aequipollentibus praecipuum inducant. c. *non licet*, de consecra. dist. 2. c. *non oportet*, ead. dist. cap. *quadragesima de consecra. dist. 5.* idem probatur ex c. *electi*, exim. de ver. signi. vbi summus Pontifex asseuerat, monachos propter ieiunia ex instituto ordinis sibi iniuncta, non esse liberos à ieiuniis ecclesiasticis, quae Christiani observare obligantur. His accedit text. in clem. *ad nostram*, de haeret. quae errorem illud damnat, quo asseueratur, ieiunia ecclesia non esse necessario servanda ab his, qui perfecti sunt. Sic D. Tho. hanc asseritionem apertissime agnoscit in 2. 2. q. 147. art. 3. & in 4. sent. dist. 15. q. 3. ad 4. Palud. q. 4. *glan. c. vnum horarium*. §. *alias*. 25. dist. quam sequi videtur Panorm. in rubr. de observat. ieiunior. col. *vlr.* Et probat Ioan. à Medina de peniten. tr. 1. c. 4. c. *de necessit. ieiun.* tametsi Card. in c. 2. eod. in eam negaverit, nisi fiat transgressio ex contemptu, & licet Caietan. in d. art. 3. existimet, nullibi ex iure Pontificio probari posse praecipuum ieiunii in eo sensu, ut secluso contemptu obliget ad mortalem culpam, fatemur tamen hanc obligationem ex communi ecclesiae interpretatione receptam esse, & id sufficere. Nos vero & ex ipsi

Canonice constitutionibus conclusionem probari, constant asseueramus. quod & D. Hieronymus in epistola ad Lucianum sensibile videtur, & in cap. *vt in am.* 67. dist. qui preceptum commendans. Idem ipse colligo ex *canone Apost.* 68. à quo illa poena frangenti ieiunia iure instituta inducuntur, quae non solent, nisi peccati mortalis causa, & ob eius culpam delinquentibus infligi.

Non obicit huic conclusioni, quod Palud. scribit in 4. dist. 25. *quest. 5.* probare conatus, quod vbi ius humanum prohibet id, quod per se malum non est nisi quia eodem iure prohibetur, non potest contingere, nec contingit aliud peccatum, quam inobedientia. Et ideo cum ecclesia temporibus quibusdam prohibeat esum carniarum, & leges quas à praescribat in his, quae ad cibos attinent, quibus legibus seclusus, nihil suberat in cibis adsumendis per se malum, videtur adversus leges istas tantum posse committi peccatum inobedientiae ex contemptu si transgressio contingat. Nam haec opinio Paludani falsa est, nec potest recta ratione defendi, ecclesia etenim dum abstinentiam quadragesimalem induxit, ieiunium illud constituit in virtute abstinentiae, & ideo non solum ille contra obedientiam peccaret, qui ieiunium ex contemptu frangeret, sed & ille contra abstinentiam, qui non ex contemptu, sed praegula id faceret. quod aduersus Palud. tradit Domin. Soto, lib. 9. de iustitia & iure. *quest. 5. artic. vl.* idem praemittit Caietan. in dist. art. 3. dum probat, in observantia ieiunii ecclesiastici duplicem contineri virtutem, obedientiam inquam, & abstinentiam, & ideo vbi peccatur contra hoc ecclesiam institutum, posse contingere peccatum inobedientiae, & gulae.

**Septima conclusio:** In ieiunio iure Pontificio indicto, non licet, nisi semel prandere. Probatur haec omnium consensus ex Greg. in cap. *quadragesima de consecra. dist. 5.* qui dies dominicos quadragesimae ab aliis distinguit, nec distinctio contingit in delectu ciborum, quia par est in hoc prohibitio, nec potest in alio discrimine constitui, quam quod dominicis diebus quadragesimae licet bis, vel ter prandere, ergo in aliis diebus non licet, nisi semel. Siquidem potest in hoc vera differentia, quod libere die dominico licet, quoties librum fuerit prandere, in aliis vero diebus non sit, nisi bis, iure permissum. Et nihilominus ex Greg. responsio conclusio ista frequentissime deducitur, maxime à Panorm. in rubr. de observat. ieiun. & Caietan. 2. 2. q. 147. art. 6. qui eandem alius rationibus, & communi totius Christiani orbis consensu probare nititur, eamque illic S. Thom. vti ab ecclesia definitam, & à populo Christiano receptam exponit, & interpretatur. De illo vero ientaculo, quod fieri solet sero à ieiunantibus prandere hoc in loco tractabitur, cum de ea questione Caietan. in d. art. 6. & idem ac Syluest. in summa longe tractauerint, & ante ipsos Innocent. & Panorm. in d. rubr. de observat. ieiun. ex quibus summa disputationis in hoc deducitur, ut licet vespere iuxta provinciam consuetudinem aliquam, etiam circa firmum comedere, modo id fiat moderate, neque fraus ieiunii legibus irrogetur.

Ceterum, Christiane lector, in hanc conclusionem quaestio incidit insignis, quae vnià necessaria non esset, an hi licet ieiunia iure instituta, & praecipuo ecclesiae factis faciant, qui semel comedendo tantum sibi accipiunt, tot cibariis, & condimentis vtuntur, ad ingluviem vique, ut nulla carnis afflictionem sentiant, imò gulam impensissime irruent, libidinem excitent, tantum cibi sumentes vnicò prandio quantum sit tribus hominibus satis ad congruam eorum sustentationem. Etenim multis rationibus non temere potens asseuerare hosce homines ieiunii praecipuo minime satis fecisse.

Primo ecclesia Catholica, quae ieiunia indixit, in hoc velle tendit, atque hunc finem praegulis habuit, ut Christiani diebus ieiunii per abstinentiam certis legibus praescriptam corpora castigent, ad illicitos carnis motus reprimendos, fitque mens aptior ad sublimia, & divina contempera, quod superius euidenter probauimus, & fatentur passim omnes, qui de ieiuniis tractauerunt. Hic vero finis nequaquam sequitur, quod non esset ieiunantis sobrie, ac temperate impurandus, sed & ab ipso ieiunante manifeste obicitur huic fini impedimentum media illa tollendo, quae ad abstinentiam vni-

fuert ad præscriptum finē instituta, Ergo non potest vere dici, hos de quibus questio agit, ieiunio latissimē esse.

Secundo, materia huius præcepti non solum videtur esse semel in die prandere, sed ita semel cibū sumere, vt quantum ad cibos attinet, corpus affligatur, & castigetur, saltem vt abstinentia vtatur, qua solet corpus affligi & castigari, iuxta prudentis viri arbitrium. Quoadmodum constat ex obseruatione ieiuniorum, qua sancti patres, & reliqui Christianam religionem professi ab initio legis Evangelicæ vti fuerunt. Ergo non seruat præceptum, imo eadem refragatur, qui semel in die absque vlla temperantia, & abstinentia comedit, tantum non ad ingluuicm vsque immoderate nimis in comedendo limites rationis transgreditur.

Tertio, lex humana hac in re nihil aliud facit, quam diem certū, aut tempus certū definire, & modum quandam præscribere, quibus legem naturalem, ac diuinam exequamur, quod paulo ante adnotauimus, ita quidē quod tempore ab ecclesiā prescripto, & modo per eam definito lex de ieiunio naturalis, & diuina seruetur. Sed qui sic ieiunant, vt in quæstionis titulo exposuimus, palam legi naturali, & diuinæ de ieiunio aduersantur, ergo & humanæ. His accedit quod ecclesiā in materia temperantiæ certis diebus ieiunium præcipit, reliquo autem temporis anno moderate comedere legis naturalis institutio reliquit.

Quarto eodem modo vnica ex cibo refectio, si ea sit immoderata humano legis proximo fini contraria est, sicut plures, sed qui pluribus vtitur, dubio procul contra legem humanam de ieiunio facit, ergo & qui semel, immoderate tamen comedit.

Quinto absurdo vitando argumentamur, nā si eo modo, quo caput quæstionis exponit, satisfieret ieiunij præcepto, sequeretur, quod virtutis præceptum adimpleretur per contrarium eius, quod præcipitur. Quod nemo doctus affirmabit. Exeret etenim qui se ingurgitat, gulam apertissime contrariam abstinentiæ, qua lege lata de ieiunio percipitur. Quæ ratione ad probandam hac in quæstione opinionem istam vtitur Martinus Ayla Episcopus Guadixiensis li. 3. de traditio. eccles. de ieiunio. Eadem sententiæ ad stipulari videtur D. Thom. in 2. 2. q. 148. art. 2. qui de transgrediendo præceptum ieiunij, inquit. Cuius auctoritatem, si aliquis transgrediendo statuti cōtēnnat, vel hoc modo transgrediat, quod impediatur finis quem intendit, peccat mortaliter talis transgressor, scribit & ad hæc Ioan. Maior in 4. sent. dist. 15. q. 3. nullo modo ratione quantitatis cibi ieiunium frangi, nisi quis intemperate comedat. sed & Innoc. in rub. de obser. ieiun. num. 3. refert, quosdam tenere nusquam esse ieiunij, nisi & ibi sit virtus abstinentiæ.

Contrariam opinionem veriorē esse, probare conatur Caiet. 2. 2. q. 147. art. 3. & Ioan. Medina in 4. sent. in tract. de ieiunio. c. de numero refectio. & c. de his per quæ ecclesiasticum ieiunium soluitur ex nostris Inno. in 4. rubr. n. 3. qui premittere videtur hoc ab omnibus fræquentiori cōsensu receptū esse. Ecclesiā etenim in his legibus quas de ieiunio instituit, licet definiat, semel tantum in die ieiunij comedendum esse, cibi tamen, & prandij quantitatem nec definit, nec commode definire potuit propter varias hominum conditiones, & corporum qualitates, secundum quas, quod vni est immoderatum, alteri fortassis non sufficit, aut sane ita illi conuenit, vt nullus sit in ea re excessus. Hæc vero ratio non est adeo effeacax, quod possit priorem opinionem omnino euertere. Nam licet S. Thom. ea vtatur in dist. art. 6. ad 1. & verum sit, ab ecclesiā non esse quantitatem cibi definitam ieiunantibus, siquidem in legibus de ieiunio latis hora prandij, & vniuersi tantum præscribitur, quod & idem Thomas tradit art. 7. non negatur ex hoc ab ecclesiā sensum definitum esse, ac ieiunantibus præceptum esse, vt abstinentia vtatur. Atque ideo tenetur qui ieiunat ex præcepto ecclesiæ abstinentia vt ac semel tantum comedere temperate iuxta boni viri arbitrium ne circumspēcta, quadam ex latitudine, propria conditione, limites temperantiæ, aut abstinentiæ virtutis excedat. Nec id periculosum est, imo cuique facillimū iuxta illam latitudinem, quæ cognosci, ac diudicari absque vilo graui examine poterit. At præceptam esse ab ecclesiā ieiunantibus abstinentiam, vbi que nisi fallor, S. Thomas præmittit, & docet. Idem superius nos probauimus, fit igitur rationi consonum, tunc ieiunij præceptum minime seruari, imo violari plane, quoties abstinentiæ limites, etiam semel comedendo, vnicoye prandio qui ieiunat egreditur

quippe qui nequaquam abstinentia vtatur, nec eius virtutis actū qui iure Pontificio præcipitur, imo abstinentiæ virtutis actus, est ieiunij abstinentia, quod omnes ferme fatentur, & ideo absque actu abstinentiæ virtutis, nec ieiunij vere dici potest, nec præceptum ecclesiæ adimpletur, quo actus abstinentiæ præcipitur.

Secundo opinioni Caietani accedit, ac suffragatur, quod finis præcepti minime cadat, aut cōprehendatur sub præcepto ad hoc, vt finis ipse iudem præceptus censetur, sicut ex diuo Thoma, & aliis in c. præcedenti obseruauimus. Sed finis præcepti de ieiunio instituti est ipsa castigatio corporis & afflictio carnis ad eius illicitos conatus reprimendos, & vt mens aptior sit contemplationi diuinarum rerum, ergo non tenetur qui ieiunat ex præcepto castigare, aut affligere corpus, sed illi satis erit si seruet media, quæ fuerint a lege præfinita ad illum finem consequendum. Verum & hæc ratio non admodum vrget, si distinguamus finem præcepti cuiuslibet specialē à fine omnium perceptorū communi, qui charitas est. Et quidem finis hic posterior non continetur sub præcepto quolibet, quamuis omnium sit finis & sub eorum quolibet præmittatur, vt modus omnium virtutū, quia licet earū omnium actus ordinantur ad charitatē, hic tamē finis non cōprehenditur in quolibet speciali præcepto nec legis diuinæ nec humanæ. Etenim nec ab homine, nec à Deo punitur tanquam præcepti transgressor qui parentibus debitum honorem impendit, licet id fecerit absque charitate, & vilo pietatis habitu, Quod S. Thom. non semel adnotauit, sed signanter in 1. 2. quæst. 100. art. 9. finis vero præcepti specialis sub præcepto cōtinetur, & præceptus intelligitur, quemadmodum de præcepto peculiari, & speciali diligenti Deum explicat S. Thom. id dist. q. 100. art. 10. ergo finis huius præcepti de ieiunio specialis sub præcepto cōprehenditur, & præscriptus à lege censetur ea ex parte, qua illum Christiani obseruare possunt. His patrocinatur, quod in idem fere incidit, nempe præceptum continere finem proximum, quamuis finem remotum non contineat, nec sub præcepto vinculo comprehenderit. Sicut ex rationibus à D. Thom. traditis manifeste deducitur. Sed & ibi ipsum probatur ex eodem Thom. in 2. 2. q. 44. art. 4. ad 1. qui ita scribit, sub præcepto, quod datur de actu alicuius virtutis, nō cadit modus quem habet ille actus ex alia superiori virtute: cadit tamen sub præcepto modus ille, qui pertinet ad rationem propriæ virtutis. Hæc Thomas; quem illic Caiet. sequitur & interpretatur, ad hæc conducit plurimum eiusdem Thom. quædam distinctio in 1. 2. q. 96. art. 3. Aliquis inquit, actus potest esse virtutis dupliciter, vno modo ex eo, quod homo operatur virtuosa, sicut actus fortitudinis facere fortia, & sic lex præcipit aliquos actus virtutis. Alio modo dicitur actus virtutis, quia aliquis operatur virtuosa eo modo, quo virtuosus operatur. Et talis actus semper procedit à virtute, nec cadit sub præcepto legis, sed est finis ad quem legislator ducere intendit. Hactenus Thom. Quibus ad amissim obseruatis erit respondendum, huius præcepti de ieiunio finē remotum ex alia superiori virtute, quique sit omnium perceptorum finis non comprehendi hoc speciali præcepto, & ideo non posse vere dici transgressorem huius præcepti eum, qui sic ieiunauerit, vt illud opus ieiunij minime fuerit meritorium, nec satisfactorium, nec ad mentis in Deum eleuationem vtile, ex defectu charitatis. Nam etsi finis ieiunij sit per corporis extenuationem, animam ad supernorum contemplationem erigere, illa tamen contemplatio non cadit sub præcepto ieiunij. Et ideo non tenetur quis ratione huius præcepti ita se disponere abstinendo à peccato mortali, vt possit mentem in diuinarum rerum contemplationem erigere, quia nec tenetur ex eodem præcepto diuina contemplari, & animum in Deum erigere. Finem vero proximum & specialem huius præcepti, nempe castigationem corporis, & per abstinentiam emundationem eius atque purgationem, sub eodem comprehendi constat, quatenus attinet ad ieiunantis facultatem. Tenemur ergo ex hac lege corpus castigare, atque à ciborum sententia mundare per abstinentiam, denique ad finem istum proximum, & immediatum, specialemque huius legis, quæ de ieiuniis ab ecclesiā instituta est, præferti, quod eadem lege tenemur abstinentiam, virtutem, & admodum, qui pertinet ad rationem propriam, ac peculiarem eiusdem virtutis, nō vt hic actus procedit à virtute, sed qua ex parte actus est virtutis, siquidem eo modo sub præcepto includitur, & vere præci-

præcipitur, saltem tenemur minime obuiam ire mediis ab ecclesia ad hunc proximum finem institutis.

Postremo ad hanc opinionem Caietani accedere videtur verba S. Thom. in 2. 2. q. 147. art. 6. ad 2. qui de ieiunantibus ita scribit: Si autem quis immoderate potu vtratur, potest peccare, & meritum ieiunii perdere, sicut etiam si immoderate cibum in vna comestione adsumat. Hæc Thomas sentit enim hunc excessum immoderati cibi meritum ieiunii tollere, sicut & immoderati potus, nõ tamen ieiunii præcepto refragari, sicut nec eidem refragatur potus, etiam vnus prandii immoderatus.

Non me laret, posteriorem sententiam, quæ à Caietano probatur pluribus placuisse, & fortassis verior em esse: mihi tamen dubia est, quamuis nolim in re adeo graui quenquã damnare facillime ab hæc dubitatione discisculus, nisi vidissem tot sanctorum Patrum testimonia, tot veterum canonum decreta, quibus ieiunium ex multis causis, ac rationibus commendatur, potissimam laudem ab abstinentia sibi vindicare. Sed & Sanct. Thom. 2. 2. q. 147. art. 1. ad 2. & art. 3. ad 1. profecto sentit, sub ieiunio contineri abstinentiam, quæ cõmuni regula supererogationis est, & differt à communi vlti virtutis necessario, vt ab illis etiam abstineamus, quæ salua virtute nobis licent, sicut in sexta illatione primæ conclusionis diximus.

Quod si quis bis, ter, vel quater in die ieiunii cibũ sumat & comedat, ita quidẽ vt adhuc vere fuerit vsus abstinentia, nihilominus legi de ieiunio ecclesiastico latæ aduersatur, quia illa lex non tantũ abstinentiã indixit, sed & abstinentiæ modum ac limitem præscribit, quod omnes fatentur.

Hinc etiã subsequitur, eum peccare contra legẽ, & præceptũ ieiunii, qui iã violat ieiunio 1. ea in die per secundũ prandiu tertio, aut quarto cibum adsumperit, denique toties peccare nouo peccato, quoties post primũ à iure permittit prandiu comederit. Cui opinioni accedit. Ioa. Medina in Codice de penitentia tract. 4. cap. de num. refectio. post Ioann. de Neapoli in quolibet. Etenim qui bis comederet contra legem ieiunii, adhuc obligatur iuxta vires proprias eandem legem obseruare, & à cibo eadem die abstinere, ergo peccabit aduersus legem ieiunii, qui violata semel eadem lege tertio cibum adsumperit. Nam qualibet die, qua ieiunium indictum est, tenetur quis abstinere à cibis, & abstinentiæ virtute vti, à quo præcepto nequaquam eximitur ex eo, quod illa die non possit ieiunare semel violata ieiunii lege, quia licet ieiunare perfecte non possit propter eius culpã, superest adhuc diei pars, in qua tenetur abstinere, cũ vere abstinere possit. Nec quidquã oberit, quod is abstinentia vti nõ possit, quæ ad ieiunium requiritur, quũ ieiunium nihil sit quam abstinentia certis ac quibusdam limitibus iure præscripta. Nam quamuis semel violata ieiunii lege non possit illo die abstinentia perfecta vti, poterit tamen ea vti nihilominus quo ad reliquam diei partem, atque ideo partim legi satisfacere, nec video qua ratione, qui non possit, præsertim eius culpa, totam seruare legem, sit exemptus ex hoc ab eiusdem legis vinculo, quò ad eam partem, in qua legẽ adimplere commode valeat. Ex quo mihi hæc opinio potius placet, quamuis contrariam præter alios constanter asseuerauerint Durandus, & Palud. in 4. dist. 15. quest. 4. art. 5. Caieta. in verb. ieiunium. Angel. §. 22. & Syluest. q. 8. vers. 4. rursus idem Caieta. 1. 2. q. 147. art. 8. qui testatur hanc opinionem communem esse.

De hora prandii est adnotandum 1. in diebus ieiunii horam prandendi definitam esse nonam diei. Quod probatur ex Athanasio in libro de virginitate. Epiphano contra Massalianos, qui quarta, & pro sabbato ieiunium ex traditione Apostolorum statutum esse, vsque ad horam nonam, scribit. idem constat ex Concilio Maguntico, canone 34. cuius superioris mentionem fecimus quo ad ieiunium quatuor temporũ. De ieiunio quadragesimæ extat apud Gratianum ex Concilio Cabilonensi, canon, solent. de consec. dist. 1. ex Iuone Carnotensi li. 2. de ieiunio, quem canonem tribuit Concilio Chæcedonensi S. Tho. 2. 2. q. 147. art. 7. Burchard. vero ex decretis Syluest. Papæ eum tetulit lib. 13. c. 12. Inter quæ nondum ipse legi canonẽ istũ, nec itidẽ extat inter canones Concilii Cabilonensis, nec Concilii Chæcedonensis. Sed ex eo deducitur, in quadragesimam ad horam vsque nonã differendũ esse prandium illud vnicum, quod ab ecclesiã in diebus ieiunii præscribitur: & deinde adicitur, nullatenus iniuncte credendi sunt, qui ante manducauerit, quam vesperti-

num officium celebretur. Concurrendum est enim ad Missas, & auditis Missarum solennibus, & vespertinis officiis, & largitis elemosynis ad cibum accedendum est. Hęc illa omnium consensu existimant, & vere existimant, prandium vnicum ieiunantibus nonam fuisse præscriptam, tametsi Panormit. in rubrica de obseruatione ieiun. existimet, tametsi libi à iure canonico statutum esse horam nonam ad prandium ieiunantibus in alio tempore, quam de causa sextam quo post vesperas promittitur prandium vnicum, licet cõmunis consuetudo etiam in aliis ieiuniis horam nonã præscripserit, qua in re obseruandum erit, quam ratione sine diei horæ connumerandæ, siquidem vane solent ex variis causis discerni. Et sane illud ad hunc tractatum intellectum obtinuit, quod Andr. Alciat. diligenter adnotat in l. 2. ff. de verb. signifi. cui Antonius Augustinus accedit in lib. 4. mendaciorum capitul. 13. Veteres quidem in duodecim horas diuisis, totidemque noctem, eaque de causa sextam diei horam meridiem fuisse, sextam vero noctis mediam noctem. Quia ratione æstate diei horæ maiores erant, & noctis minores, brumæ autem tempore noctis horæ maiores erant, diei vero minores. Crescebant enim & minuebantur. l. 1. de manum. ff. l. à qua at. qui testamen. face. post. l. in vsu capitul. & l. ideoque ff. de vsu cap. l. 2. ff. de annu. legat. vbi & in l. Titim. §. Luc. ff. de liberis & posthumis. l. 3. ff. de oper. lib. & in dist. 1. 2. de verb. signifi. apertius quæ præmissis cõstant, imo ex his locis Iurisperitorum prius adducti commodius intelliguntur, & ex Harmenopulo lib. vltim. titul. de verb. signifi. Aulo Gellio lib. 3. cap. 2. Macrobio lib. 1. Satur. capitul. 3. Alciat. libro 1. parerg. capitul. 4. Alexand. ab Alexandris lib. 4. capitul. 20. Iudo. Celso lib. 7. l. antiq. capitul. 9. Vnde fit, vt horæ bifariam distinguantur, quarum enim dicuntur æquinociales, quæ Græci æquinoctiales, id est, æquales appellant, & hæc semper æqua spacia continent, siue in noctibus siue in diebus, hisque nunc vtitur vulgo, & ideo vulgares modo nuncupare possumus. Diæ sunt æquinociales, quod arietis & libra, atque ita in vtroque æquinocitio singuli dies, noctesque contineantur horis duodecim, eiusdemque equalibus, nec est maior noctis hora quã diei. Sunt & horæ ab his distimiles, quæ inæquales dicuntur, & temporales, quas Græci dixere ἡμερῶδες, quod quolibet tempore nox in duodecim, & in totidem dies, horas diuidatur. Etique necessario tunc hora diei maior in æstate: quam in bruma, & eadem ratione noctis horæ minores erunt in æstate, maiores vero in bruma. Hinc Plinius lib. 2. cap. 25. Augustini verba referens de sydere crinito inquit: Id oriebitur circa vndecimam horam diei, clarumque & omnibus terris conspicuum fuit. Et apud Mattheum ca. 20. Vnde diximus his qui vndecima hora conducti fuerant, tantã mercedem soluit quantam his, qui à tertia, sextave hora opus fecerant, parẽque fecit eos, qui vnã tantum horam in vinea fuissent, his qui totius diei calorem, & pòdus sustinuerunt. Apud Plutarchum in Crasso, duodecima hora dicitur diei vltim. Etenim M. Crassus iam senex, cum Deiotarum Regem eadem ætate offendisset urbem ædificantem, quid tu, inquit, Deiotare? duodecima hora ædificare cepisti? cui Rex, nec tu quidem, respondit, Crasse matutino tempore Parthos oppugnans. Sic & in l. non minore. C. de trasact. Secunda hora noctis intelligitur, quæ secunda ex duodecim, in qua nox ipsa diuiditur. Eadem ratione Iurisperitulus in l. 2. ff. de verb. signifi. erit interpretandus, dum scribit, cuiusque diei maior pars est horarum septem primarum diei, non suppremarum, id est maior pars est ab hora duodecima noctis ad octauam diei, non à quinta ad duodecimam. De his etiam horis Iurisperituli passim, vt probatum est tractare, & ideo eiusdem & hic locus dubio procul est accipiedus. Duodecimam autem horam noctis intelligo vltimam ipsius noctis, vt matutino crepusculo dies incipiat post 12. noctis horam. Sunt etenim primæ horæ diei à 12. noctis, vsque ad octauam incipientem finita septima, septem vero postremæ à quinta incipienti ad 12. iam finitam, atque ita non simpliciter ab horarum numero maior pars dicitur, sed à diei parte actiuosa, nempe ante meridiem, & paulo post. Si quidem veteres matutinas horas, & ante meridianas seris negociis occupabant adsumendum vero est numerus septem horarum ex duodecima, non ratione quinq; horarum, quæ superfluit ex quo eas sit maior pars dies, sed ad significandum primas septem horas diei ex duodecim in quas dies distinguuntur, vt com parentur totidem postremis diei horis ex octo horis.

horum numero. Ex quibus in hoc tractatu de ieiunio hora nona erit ita inquirenda, ut diem in duodecim horas tempore distinguamus, sicque in ipsa meridie hora hora & ab ea hora nona deducatur, reliqua diei parte in alteram diem partem ipsi die in quatuor aequales portiones dividendo. Vnde in quinquagesimo hora nona dicitur tertia post meridiem iuxta horarum rationem, qua modo utimur ex octidialibus horis. In astate, & diebus longissimis hora nona erit prope quartam post meridianam, in brevissimis prope secundam; quod est ad hanc rationem exacte prescriptam diligenter observandum, ut veteres canones, & eorum interpretes intelligamus. Sic Divus Thom. in d. q. 147. art. 7. scribit, communi usu, omnibus diebus fere prope horam tertiam cibum addumi, id est ut ipse intelligo, prope meridiem, & ideo congrue diebus ieiunii horam nonam esse prope prandio prescriptam, idem ipse Tho. in d. q. dist. 15. q. 2. Quamobrem non levis adest coniectura, imo profectio maxima, tempore diu Thomae in diebus ieiunii veteres canones adhuc servari, & hora nona a ieiunantibus cibum assumptum vnicuique prandio fuisse non prius. Hec tamen pro humano instituta sunt, moribusque ventium, & consuetudine tolli possunt, idcirco potius consuetudo in ieiunio aliam horam vnicuique prandio definire, etiam nonam observando, qua ratione qui modo in his diebus hora sexta & in meridie, aut prope meridiem prandemus, nihilominus ieiunii legem servamus, canonibusque ac constitutionibus de ieiunio latis absque villo crimine transgressio non obsequimur. quod Caeteran. optime adnot. in d. art. 7. & in ipso Florent. 4. part. tit. 4. cap. 4. & Sylvestr. in verb. ieiunii. 4. eodem ferme consuetudinis iure obtentum est, quod in quadragesima vespertinum officium dicatur ante prandium prope meridiem hora undecima ex his quibus modo vtriusque quidem ut duodecima hora que sexta olim dicebatur, omnibus ecclesiis vel vespere sint finitae, vel paulo post finiantur, ea ex causa, quod in quadragesima non liceat prope meridiem prandere, nisi vespertino finito officio, tamen si in his ieiuniis licitum esset vnicuique prandium hora nona. Haec ratio, que ad consuetudinem iuri humano derogante dicitur, mihi potius placet, quam quod hac in re adnotatur, & responderi solet ex Paluda. in d. dist. 15. q. 4. art. 4. Florentino 2. part. tit. 6. c. 2. §. 10. & verb. ieiunium. §. 4. scribit Palud. in ieiunio quadragesime prandium licitum esse post officium vespertinum ante horam vespertinam iam hora nona finitae, in aliis vero ieiuniis post nonam horam officium finitae hora sexta, etiam ante horam fere nonam. Addit Syl. more ecclesiastico tres primas horas diei in quales appellari tertiam, deinde subsequentes tres, que finiuntur in meridie hora sextam, ac demum tres sequentes diei nonam, & tres ultimas Vesperas. quod maxime conducit ad Paludani opinionem, quam probare videtur Florentin. Sed haec nisi consuetudine consentent, nullo iure, aut nullibi, quod ipse scribit, apud ipsos Pontificum probantur, tamen ad officia ecclesiastica celebranda, & ad canonicas horas publice in ecclesia dicendas, receptum sit tempora distinguere per divisionem artificialis diei, ut prima dicatur hora ab ortu solis, & pars 3. item eadem ratione, sicut & 6. que ab eodem solis ortu in meridie observanda est omnino, deinde nona eadem discrimine constituto, qua de re legenda erunt, que doct. & diligenter tradit Mart. Azpilcueta in c. quando de consuet. 1. notab. 3. numer. 33. qui vero nimis praevenerit horam a iure, vel consuetudine prandio praefinitam, reus erit mortalitatis culpa, quippe qui ieiunium non servaverit. gl. in c. vnum in ieiunio §. alio. 25. d. si. Palud. in d. dist. 15. q. 4. art. 4. Caiet. a. 2. q. 147. art. 7. quamvis contrarium teneat Ang. in verb. ieiunium. §. 4. & tenet Innoc. in rub. de observat. ieiunium. nu. 3.

De delectu ciborum, qui non parum conducit ad veram pietatem augendam, quique maxime utilis est ad effrenatam libidinem coercendam, si ab his abstineamus, quae ad libidinem inflammant, non est cur hoc in loco longius tractemus, siquidem adversus Iovinianum, Waldenses, & Lutherum multa scripta sunt, quo poterit lector diligentius tractata legere apud Iodocum Clithonaeum in propugnaculo ecclesiastico, quod contra Lutheranos scripsit, & rursus apud Alfonso de Castro in lib. de heresibus, & in Ioban. Bunderium in copulatione I. Lutheranos edito. tit. 35. Martinum ab Ayala Guadaluensem Episcopum lib. 3. de tractatu eccles. c. de electu ciborum. Etenim quo ad nostrum attinet institutum, illud est adnotandum

in quadragesima, & omnibus diebus, quibus ex institutione ecclesiae ieiunare tenemur, ab esu carniū esse omnino abstinentum: quod de quadragesima constat ex decreto Telephori Papae c. statim dist. 14. & canone 56. sextae Synodi generalis. Concilio Toletano, c. 10. & Concilio Toletano 8. c. 9. qua in re S. Tho. in 2. 2. q. 147. art. 6. & omnes interpres vtriusque interpretes plane conveniunt de aliis ieiuniis extra quadragesimam. idem probatur ex c. de esu carniū, de consec. dist. 3. & Concilio Gerundeni, c. 3. Concilio item Maguntiaci, c. 34. apud Gratianum in c. 2. 76. dist. quamvis non integro ut obiter superius adnotavimus. idque ab ecclesia Catholica receptum extat. De lacte vero, butyro, caseo, & onis controuertitur, haec etenim prohibita esse in quadragesima, fatentur omnes, & plane deducitur ex Gratiano in c. de niq. 4. dist. Par autē est, inquit, ut nos, qui his diebus ab esu carniū animalium abstinemus, ab omnibus quoque quae fementinam trahunt originem carnis ieiunemus, à lacte videlicet, caseo & onis. Hac Gratianus ex D. Gregorio, apud quem id nondum potui reperire. Nihilominus S. Tho. in d. art. 8. Archid. in c. rogationes. de consuet. §. 3. Innoc. & Panor. in rub. de observat. ieiunium. nu. 5. Et eo teste. omnes alii asseuerant, iure Pontificio in ieiunio quadragesimae prohiberi oua, lac, caseum, & his similia, quod expressim probat canon sextae Synodi à nemine hac in questione citatus. In aliis autem ieiuniis non esse hac vetitae, sed tantum esum carniū. Vnde nisi aliud fuerit consuetudine obtentū, in aliis ieiuniis praeter quadragesimam licebit onis caseo, & lacte vesci. Qua ratione observada erit cuiusque prouinciae consuetudo, tamen Panor. non satis ex mente Tho. huius questionis resolutionē deduxerit. Etenim D. Tho. & qui eum sequuntur, asseuerant, in aliis ieiuniis praeter quadragesimam, non esse caseum, oua, & lac prohibita, & ideo consuetudinem fore observandam, atque ideo sentiunt, posse ieiunantes his cibis uti, nisi consuetudine prohibito eorum fuerit inducta. Que quidem conclusio ab ea differt quae Panor. deduxit scribens, in aliis ieiuniis posse ieiunantes his vesci cibis, si id fuerit obtentū consuetudine. Quid etenim si nulla sit hac de re consuetudo, & in hoc Panor. omisit quod Thom. egregie sentit, & qui eum secuti sunt. Ego vero existimo, oua, caseum, & lac, atque his similia vetita esse iure in his diebus ieiunii causa caro fuerit prohibita. idque mihi probare videtur ex ea ratione, qua D. Gregor. apud Gratianum in d. c. de niq. vltus est, & quae à synodo sexta traditur in d. can. 56. Visum est ergo, inquit, ut omnis Dei ecclesia, quae est in vniuerso terrarum orbe, vnum ordinem sequens ieiunium perficiat & abstineat, sicut ab omni mactabili, sicut & ab onis, & caseo, quidem sunt fructus, & foetus eorum à quibus abstinemus. Haec tenet ille Canon. Qua ratione & S. Thom. in d. art. 8. vtitur. atque ideo prohibito esu carniū ieiunii causa, & oua, lac, caseusque & his similia vetita censentur.

De rogationibus extat Aurelianensis Synodi primae can. 29. apud Gratianum de consec. dist. 3. ca. rogationes. quo institutum est litaniarum, id est, supplicationes diuinas aut rogationes, ante Ascensionem Domini triduo celebrari, ieiuniumque indictum est illis tribus diebus, cuius celebritas, que fere in toto Christiano orbe rerēpta vbi que videtur, origo deducitur ab historia, cuius ex Gregorio Turonensi lib. 2. cap. 34. meminit Andr. Alciat. lib. 9. parerg. c. 11. Gregorius etenim ex Auiti Homilia refert [quae extat in tomo 7. Sacrae Bibliothecae à Mamerco Viennensi Episcopo, primum has litanias institutas fuisse ad expianda prodigia, cum terra mouisset, cum lupi, atque fere vrbes oberrent, damnoque, & terrori mortalibus essent. Cuius rei dispersa per prouincias fama, & ceteros antistites inuitauit, ut exemplum sequerentur, adeo ut in Italia quoque celebrarentur, & religiose quidem. Idē constat ex Adonis Archiepiscopi Viennensis Chronicis qui huius huius instituti originem tribuit anno Domini 452.] Praeter haec Burchardus lib. 1. c. 7. ex Concilio Aurelianensi cap. 6. ita scribit, Cum exigentibus peccatis Galliarum populi luporum rabie acriter interimerentur, nec huius flagelli aliquod remedium inuenire posset, congregati traduntur Galliarum Episcopi apud Viennam urbem, atque in comune statuerunt, ut triduanum ieiunium facerent. Cumque dominus pestem misericorditer abstulisset, hi dies in consuetudinem annuae celebritatis uenerunt, ut per Galliarum prouincias ante ascensionem Domini diem celebrarentur. Agamus & nos hos dies cum summa reuerentia & deuotione, cum abstinentia carnis & humilitate cordis, non ut cibum luporum rabiem euadamus, sed ut inuisibilem, id est,



id est, spirituum immundorum tentamenta vin cer e valeamus. Nullus autem his diebus vestimentis pretiosis induatur, quia in sacco & cinere lugere debemus, prohibeantur ebrietates, & comestiones, quae sunt in vulgari plebe. Nemo ibi equitare praesumat, sed discalciatis pedibus omnes incedat. Nequaquam muliercula choros ducant, sed omnes in commune Kyrie Eleyson decantent, & cum cōtione cordis Dei misericordiam exorent pro peccatis, pro pace, pro peste, pro conseruatione frugum, & pro ceteris necessitatibus. Dies enim sunt abstinentiae, non latitiae. Hec apud Burchardum, quae apud Gratianum, & in libro conciliorum breuiter nimis referuntur, tamen illic concilii Aurelianensis definitio explicetur, quae memoria veteris instituti hanc celebritatem renouauit, cuius origo Mamerco Viennensi praefuli, etiam à Guaguino tribuitur lib. 1. de gestis Francorum paulo ante Clodouxi Regis primi obitum, anno Domini fere 514. Sed & author Michrologi asseuerat, minores Litanias, eadēque triduanas à Mamerco Viennensi Episcopo institutas fuisse: Maiorem vero Litaniam à Beato Gregorio Pontifice Maximo pro ipsius tēporis pestilentia, vtiturque testimonio ipsius Gregorii in epistola ad Ioannem Rauentatam Episcopum, idem tradit Rupertus Abbas lib. 9. de diuinis offic. cap. 5. quibus adde eundē diuum Gregorium lib. 11. epist. c. 2. & lib. 4. Epist. 45. & lib. 2. in prin. & Ioan. Diaconum in eius vita, c. 41. & sequentibus, lib. 1. Hoc vero ieiunium moribus sublatum est, quamuis his diebus ab esu carnum abstinemus, saltem feria secunda & quarta, iuxta cuiuslibet provinciae consuetudinem. [De his vero litanis actum est in Concilio Toletano a. c. quando presbyteri 38, d. & in Cōcilio Magūtino 1. c. 33. tit. de cōs. & cōs. c. 7.]

De his vero rogationibus legendus erit Lopus allegar. 90. An tunc iudicia exerceri possint, & de alia quaestione Fel. in c. dilectus. co l. vlt. de offic. ord.

Est igitur, vt tractatum illum absoluamus in summa ieiunium ecclesiasticum: abstinentia, quihosdam legibus salutis spiritualis, & religionis causa iure Pontificio praescripta.

## CAPVT XXI.

Ius succedendi ex testamento, & ab intestato, quod plerunque filiis illegitimis à principe conceditur, an includat ius succedendi contra testamentum

## S V M M A R I A.

- 1 Filius naturalis, aut illegitimus, qui habet ex principis concessione ius succedendi ex testamento. Et ab intestato, poterit agere contra patris testamentum, secundum quosdam.
- 2 Tria haec, ius succedendi ex testamento, ius succedendi ab intestato, ius agendi contra testamentum, diuersa ac distincta esse, probatur.
- 3 Rursus probatur, ex propria verborum significatione, non dari ius agendi contra testamentum patris, ex sola concessione succedendi ex testamento, Et ab intestato.

Requenter in his rescriptis, quibus filiis illegitimis à principe aliquot privilegia conceduntur, haec clausula scribitur, tibi que concedimus ius succedendi patri tuo ex testamento, & ab intestato, solerque controuerti, an ex hac concessione, si pater fecerit testamentum, in quo filius legitimus verbis praescriptis fuerit praeteritus, aut legitima bonorum parte priuatus, aliquo uero onere quo ad eam grauatus, possit contra testamentum agere. Et Fortassis videbitur quibusdam questio ista vel inutilis, vel disputatione indigna ex eo, quod filius legitimus rescripto principis possit iure ipsius legitimationis agere contra patris testamentum, quod equidem verum est regulariter, sicuti & in quartum decretalium, vbi de legitimationibus tractauimus, traditum à nobis est, idque modo concedimus iure probari & tamen de eo quaeritur, an filius legitimus, qui alioqui agere non potest contra patris testamentum, vel quia legitimitas perfecta non est vel ex eo, quod ob aliam causam iure ordinario ea actio ei non comperat, possit ex interpretatione verborum, quae sub praedicta clausula continentur, & ex eorum vi, ac potestate aduersus patris testamentum actionem in iudicium deducere. Qua in quaestione fatemur plane ex ea clausula hoc ius agendi minime tolli. si id alioqui comperat filio. Sed & ex vi significationis per ea verba hoc ius filio cō-

cedi à principe, & concessum cēseri, existimat fortassis 18. part. 3. sed Bald. in c. de causis. nu. 34. de offi. deleg. gl. Accur. lib. 1. alii ab eo citati minime quest. istam explicarunt, sed de iure responderunt generaliter, filio legitimo competere ius agendi contra patris testamentum ex iuris quidem determinatione, non ex praedicta clausula significatione, sed ex clausula idem esse respondendum aliquot rationibus probari videtur. Et primo iure etenim cui nullum alium concessio genus constituit, in est, quam ex testamento, vel ab intestato. I. imperialis. §. presentis. C. de nupt. no. in l. 1. ff. de imp. in l. cum antiquiorib. C. de iure delib. & successio aduersus testamentum includitur sub successione ab intestato, sicuti dicitur ex Iurisconsulto in l. 1. ff. de bo. poss. contra tab. rursum dicitur comprehenditur ac dicitur esse ex testamento. §. suum in inf. de bon. poss. igitur cum filius legitimus ad succedendum patri ex testamento, & ab intestato, ex propria horum verborum significatione, etiam si aliunde nihil petamus, poterit patri succedere ex testamento, & ab intestato, & contra eius testamentum, ad omne nempe successionem legitimam cēseri debet, quae iure civili filius datur. Secundo concessio plurimum coadiuuatur ex tex. in auih. quib. mod. an. eff. su. §. Et quoniam varie. & in d. l. imperialis. §. presentis. cum qua. de natur. l. in auth. de nupt. incest. §. adhibetur. & §. quib. in d. de her. ab intest. de fer. Quibus in locis, filiis puib. datur ius succedendi ex testamento, & ab intestato quibus idem competit ius agendi contra paterna testamenta. Tertio hinc opinionio suffragatur Ialoni responsum, in inquam in 200. 2. col. 4. vers. pro. praedictorum. scribit de huius clausula interpretatione diligenter agens, duplicem esse successionem ex testamento, quarum prior ea dicitur, quae secundum testatoris voluntatem contingit, quoties scriptus haeres hereditatem capit, posterior est, vbi aduersus testamentum querela, vel ius dicendi nullum admittitur, aliterque succedat testatori, quam ipse voluerit, imo contra eius voluntatem. Atque dicitur nihilominus successio ex testamento, quae nullquam admittitur, nisi facta testamento, quod tenet in l. vlt. C. vnde leg. subdit idem Ialon. tridem esse duplicem successionem ab intestato, vna quidem est eo auctore, quae contingit ex tacita voluntate illius, cui succeditur, & qui nullo modo testamento viuis est ad eius hereditatem vocare illi successores & heredes, qui iure, & Legibus ad intestatorum hereditatem vocantur. l. consueuntur. ff. de iure cod. ci. Altero vero, cum filius agit aduersus voluntatem patris intestati querela inofficiosa donationis ad rescindendas inoffic. oia patris donationes, iuxta ea, quae de inofficiosis donationibus statuta sunt. haec Ialon, cuius testimonio illud constat, successio nem ex testamento includere etiam successioem illam quae contra testamentum lege datur.

Ceterum hac in re miror profecto quorundam ingenia iudicium; ex eo potissimum, quod facillime propriam dictionum significationem euertere pro nihilo tentant, modo ex quacumque verborum significatione possint, quae seculi in animo conceperunt, ex aliquo Iuriconsul. locis deducere. Nam si propriam interpretationem sequamur, haec ius ex testamento tantum erit, ac dici poterit quae conuenit iuxta voluntatem testatoris, ab his quae in testamento scripta sunt legitime deductam. Quod si contingat, testamentum illud rupto, vel iniusto, vel inofficioso alium admitti ad testatoris hereditatem, vel aliter quam ab ipso scriptum fuerit, non est ista successio dicenda ex testamento, cum detur contra ipsum, siquidem ex testamento non aliter succedendum, quam ex voluntate testatoris, argum. deducto à Iuriconsul. in l. 1. ff. de i. testam. Successio vero ab intestato tunc obtinet, cum quis nullo facto testamento decessit, aut facta testamento quod ius non admittit. Constat equidem hoc dicerem ex Iustiniani institutionibus in prin. de hered. quae ab intestato defer. & illic Theophilo deinde tria haec esse admodum diuersa constat, succedere ex testamento, succedere ab intestato, & agere contra testamentum. Nam licet filius adoptiuus succedendi ius habeat ex testamento, & ab intestato, non tamen habet ius agendi contra patris adoptiuus testamentum. l. cum in adoptiuus. §. sed nec ad aruitulum. C. de adopt. Fratres etiam succedunt fratribus ex testamento, & ab intestato, non tamen agunt contra testamentum: l. fratres. C. de iust. iust. eodem argumentatio constat ex auih. quib. mod. nat. ff. si. §. si quis verborum. Ex quo curiali intestato succedit curia, & sicus, non tamen contra eius testamentum. Tertio haec tria dillingua debent